





Oratio Panegyrica  
cum

SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS  
PRINCEPS AC DOMINVS,  
DOMINVS

**FRIDERICVS,**

Rex Borussiae, Marggravius Brandenburgensis, S. Romani Imperii Archi-Camerarius et Princeps Elector, Supremus Princeps Arausisionensis et Neocastellensis; Magdeburgi, Cliviae, Juliaci, Montium, Stettini, Pomeraniae, Caflubiorum, Vandalorum, et Megapolis, nec non in Silesia et Crostnae Dux, Burggravius Norimbergensis, Princeps Halberstadii, Mindae, Camini, Vandaliae, Sverini, Raceburgi et Mursii, Comes Hohenzollerae, Rupini, Marcae, Ravensbergi, Hohensteinii, Tecklenburgi, Lingae, Sverini, Burae et Leerdami, Marchio Vehrae, et Vlinsingae, Dominus R avensteinii, Rostochii, Stargardiae, Lauenburgi, Butoviae, Arlayae et Bredae ac reliqua.

cum.

SERENISSIMA DVCE AC DOMINA,

**DOMINA**

**SOPHIA LVDOVICA,**

Ex Sereniss. domo Mecklenburgica

propaginis Sverinensis,

Nuptias auspicatissime celebraret,

VITTEMBERGAE

in Templo arcii coniuncto

Die XXVII. Novembris Anno MDCCVIII.

solenni ritu devotissimeque dicta

M. GVILELMO WILCKIO, Memela-Prusso,

Facultatis Philosophicae in Academia Wittenbergensi Adseffore.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.



C. Ioh. P. M. 27. 16.

SERENISSIMAS AC FORTISSIMAS  
PRINCIPIS AC DOMINAES  
DOMINAS  
**FRIEDEBRICAS**

Rex Gottingae, Viribusq; invictus  
despotumq; regnare, Romani pugnare, Toscanae q;  
tunc Principis legatoq; sententia, nuncq; Aenean  
miseritatemq; exaltat, q; dicitur, q; dicitur, q;  
et M. Braboq; sicut, q; dicitur, q; dicitur, q;  
Camillo, q; dicitur, q; dicitur, q; dicitur, q;  
Hercules, q; dicitur, q; dicitur, q; dicitur, q;  
M. Catoq; et q; dicitur, q; dicitur, q; dicitur, q;  
R. Pollioq; q; dicitur, q; dicitur, q; dicitur, q;

SERENISSIMI DUCATI DOMINIAES  
**SOPHIA TUDORUM**  
Ex gratia q; dicitur, q; dicitur, q;

Nobisq; seruimus, q; dicitur, q; dicitur, q;  
q; dicitur, q; dicitur, q; dicitur, q;



PRORECTOR MAGNIFICE,

Patres, Hospires, Cives,

Frequentissimi omnium Ordinum Auditores.



Vnde felix faustumque et Prus-  
fico in primis regno cum ter-  
ris atque proviaciis illi inne-  
xis salutare sit, laetus festus-  
que hodiernus dies agitur,  
quo SPONSA SERENISSIMA in Potentissimi REGIS  
Pruthenici amplexus perducta augustas familias  
arctiori necessitudinis vinculo conjungit, subje-

A

ctos

ctosqve populos in nova e prosperatis fiduciam  
erigit, et ad gratulationis officium excitatos ve-  
ro qvodam pioqve gaudio perfundit. Nam  
Principum fortuna communis est, nec minus  
singulorum civium, qvam totius Reipublicae  
rationes complectitur, ut non secundi minus  
qvam adversi illorum casus ad omnes aeque per-  
tinere videantur. Perinde ut capit is incolumi-  
tate universum corpus reficitur, et calore per  
membra dispertito suo qvaeqve loco valent,  
nec fatigata languescunt, et novo subinde vigo-  
re excitata officio suo funguntur. Qvem ad-  
modum ergo funesta illa calamitas, qvae non  
ita pridem DOMVI REGIAE orbitatem minitaba-  
tur, publicum nobis, qvi Prussicum imperium  
veneramus, luctum afferebat; ita nunc, velut  
signo qvodam ad bene sperandum sublato, jux-  
ta cum REGE nostro, recenti voluptate delibu-  
ti, metum doloremqve deponimus, et PATREM  
PATRIAЕ, instauratae felicitatis auctorem, faustis  
qvibusqve ominibus votisqve prosequimur. Est  
hoc magno nostro FRIDERICO proprium et  
divino qvodam munere concessum, ut non  
tantum rebus prosperis et supra vota fluentibus  
ad publicam salutem recte utatur, sed adversas  
etiam corrigat, et ad communes utilitates con-  
vertat, ipsamqve adeo fortunam sapientia sua re-  
gere

gere videatur. Magna est et apud omnem posteritatem manebit FRIDERICI WILHELMI Electoris admiratio , qui fortitudine sua regni Prusici fundamenta iecit, qui rerum gestarum magnitudine reges supéravit, qui totius Europae oculos in se convertit, et terrarum orbem nominis sui fama implevit. Sed fructum virtutis huius atqve felicitatis nunc demum FRIDERICI nostri opera atqve industria uberimum capimus, qui non tantum pulcherrima opera inchoata pari animi magnitudine perfecit, et ad summum culmen perduxit, sed ornamenti etiam adiunxit, et pacis artibus expolivit, nec imagis ea in re gloriae suae, et immortalitati, quam omnium securitati et emolumentis consuluit. Qvodsi igitur merito Veterum monumentis celebrantnr, et summis iustissimisqve elogiis efferuntur Principes illi, qui regna et imperia antecessorum armis parta vel amplificata consilio et prudentia stabiliverunt, omnes illae laudes in nostrum REGEM conspirant, ac, si in PATRE gloriosissimo Davidem aliquem, vel Caesarem ac Romulum superior actas suspexit, nos in Filio sapientia Salomonem, felicitate Augustum, pietate ac religionis studio Numam Pomplium divinitus donatum ac redditum nobis gratulamur. Dum enim tota Europa funestis bello-

bellorum incendiis ardet, dum alia prostrata atque deiecta iacent, alia eodem labefactata motu contremiscunt, ita FRIDERICUS regnum suum ab omni temporum iniuria et ab omni calamitatis metu defendit tutumque praefstat, ut cum magno illo Imperatore templa Jani clausisse videatur; quanquam in eo Augusti virtutem etiam vincit et superat, quod aliorum incommoda non otiosus spectat, sed opera atque consilio sublevat, communemque Imperii Germanici causam, invicto potentiae suae robore sustentat, et maximam belli gloriam cum intemerato pacis fructu, admirabili prorsus exemplo conjungit. Nam legiones eius trans Rhenum et Scaldim, trans Alpes & Apenninum et longe ultra Germaniae fines viciticia arma proferunt, et novas subinde palmas colligunt, passimque tropaea erigunt, et virtutis Prusicae vestigia ad omnem posteritatis memoriam impressa relinquent. Sentiunt hostes signa Regia, et sub pellibus extimescunt, socii autem certam auxilii spem in iis reponunt, ac quantum momenti in foedere eius situm non magis rumore et nunciis intelligunt, quam rebus factisque experuntur. Non inter postremas Caesaris Augusti laudes commemoratur singularis illa in bonas literas propensio, quarum nec inter maximos armorum

morum strepitus obliuisci potuit, qvarum stu-  
dia favore suo incendit et beneficiis aluit, tanto-  
qve in honore habuit, ut eruditos homines a-  
micos sibi et comites adiungere dignaretur.  
Hinc mutua illa ac felix ad summa tendentium  
aemulatio , hinc tot egregia ingeniorum mo-  
numenta nata sunt, qvae gentem togatam a bar-  
baris nationibus distinxerunt, et ut arduis pacis  
bellique negotiis facem praetulerunt, ita eadem  
immortalitati consecrarunt, et ad ultimas usqve  
hominum aetates transmiserunt. Fallor? an.  
aurea illa secula nobis per FRIDERICUM re-  
stituta cernimus. Quid enim in terris eius ad  
summam omnis liberalis doctrinae gloriam, aut  
ad excitandum praeclarae indolis ardorem de-  
siderare possumus? qvem praeclarus unqva  
inter Germanos Musis pretium statuisse, qvem  
maiores in solidae eruditionis instrumenta sum-  
ptus fecisse, censemus? Parum erat nova pas-  
sim literarum domicilia constituisse, et regia  
magnificentia sustentasse, parum erat praestan-  
tissimos in omni genere artifices ex remotis ter-  
rarum partibus, amplissimis stipendiis invitatos  
adduxisse: ipsas antiqui Latii opes, qvas Roma  
nobis invideat et posteri aliquando mirentur, e-  
motas sedibus suis in regiam suam transtulit.  
Hic, non dicam nummos veteres aut imagines

B

in.

in aere ductas, non vestigia quaedam aut umbras antiquitatis, sed lapides ipsos Italiae et marmora, et statuas quondam ad memoriae perpetuitatem positas, videmus, contingimus et admiramur. Intelligit videlicet REX sapientissimus nihil ad secundas res ornandas pulchrius, nihil ad tuendam illius fastigii gloriam excellentius, nihil denique ad amplificandam felicitatem publicam utilius esse, quam optimarum artium et sapientiae studia. Nam tametsi fortuna et opes potentiam et formidinem principibus conciliant, magnos tamen et admirabiles sola virtutis ornamenta efficiunt. Quicquid autem dignum admiratione gestum, quicquid prudenter dictum, quicquid magnifice aut fortiter factum fuerit, vix ultra unam aetatem in hominum ore ac memoria versabitur, sed obscurae nocte premetur, nisi literarum lumen et praeclara quaedam ingenia accesserint, quae letho illud eripiant, et ab oblivione vindicent, et ad omnium seculorum exemplum conservent. Itaque in hac etiam parte FRIDERICUS noster adeo nihil, quod regibus possit esse exemplo, praetermittit, ut aula eius quasi ludus quidam, crudite nobilitati pateat, proceres autem illustrissimi, quos non nascendi sors, sed Regis iudicium et spectata virtus atque doctrina tam

tam splendidis muneribus admovit, alteros  
Maecenates referant, et interiorum literarum laude, exterorum quoque oculos in se convertant. Platonis rem publicam hic constitutam esse, dixeris, qui tum demum praeclare omnia actum iri, speravit, si aut Principes philosophentur, aut Philosophorum similes ad gubernacula sedeant. Qvanto autem his praesidiis maior est REX noster, tanto se humanioreni praebet, et qvemadmodum in solio regio paternam charitatem servat, ita vires in beneficiis, auctoritatem in indulgentia, magnitudinem animi in mansuetudine demonstrat, atque adeo nec a comitate illa Octaviana, veteribus tantopere celebrata, recedit. Nemo tam humilis est, cui non ad gratiam eius refugium patet, nemo autem ad faciem regiam admittitur, qui non votorum compos laetior ab ea discedat. In quo REX optimus cum naturae suae obsequitur, tum Maiorum suorum clementiam ac moderationem, ipsiusque Dei, cuius in his terris vices sustinet, benignitatem, quoad ejus fieri potest, imitatur. Ob tanta tamque immortalia in gentes populosque merita, hoc praemium gloriosissimo eorum auctoritate coelestis quae piam fortuna constituit, hoc sola-

solatium illi fati indulgentia, aut, ut serio lo-  
qvar, ipsa divini Numinis providentia praef-  
sttit, ut iucundissimos laboris et curarum  
fructus percipiat, ut suorum amore tutus, re-  
gni magis indies efflorescentis incrementa vi-  
deat, et novum illud nuptiale sacrum in ho-  
nesto otio maximorumque bonorum afflu-  
entia, summo cum splendore et communi  
omnium applausu, salvus laetusque conficiat.  
Habet nunc, in cuius svavitate, publicorum  
negotiorum administratione defatigatus ac-  
qviescat, in cuius iucundissima consuetudi-  
ne omnes molestias deponat, et gravissimas  
pro publica felicitate curas leniat ac console-  
tur. Virgo REGI in fidem traditur sine ex-  
emplo maxima, et regiis virtutibus supra se-  
xus sui conditionem evecta, in qva omnia  
decora tanto fastigio digna, qvasi foedere  
qvodam copulata, reperiuntur. Haec ergo  
REGI sociat, qvae nulla inferior fortuna ca-  
piebat, et ita sociat, ut omnia eius propria  
esse cupiat, et qvicqvid habet, charissimi a-  
moris in eum effundat, a se ipsa prius, qvam  
illius desideriis recessura. Qvare non ma-  
gis SPONSI SERENISSIMI delectationi inservit,  
qvam nostris omnium votis consulit, et,  
qvantum illi levamenti, tantum ad commu-  
nem

nem salutem stabiendum praesidiū affert, si-  
mulqve perauspicato renovat necessitudi-  
nem illam, qvae multis abhinc retro seculis,  
non tantum inter familias celsissimas, sed  
gentes etiam utriusqve imperio subiectas in-  
tercessit. Nam fuit qvondam tempus, qvo  
Mecklenburgii cum viciniis Brandenburgi-  
sibus, non minus ac Pomeranis et Prussis ali-  
isqve populis cis et ultra Viadrum incolenti-  
bus, communi Slavorum nomine compre-  
hensi, unoqve Societatis vinculo adstricti, e-  
adem pericula adierunt, eandem causam co-  
dem studio egerunt, et eosdem hostes con-  
junctis viribus debellarunt. Postea vero  
qvam certis sedibus distincti et religione  
Christianā imbuti, humaniorem cultum su-  
scepserunt, cum alii eorum Principes aliis sac-  
pe amicitiae iuribus, tum praeципue qvarto  
abhinc seculo Albertus Brandenburgensis et  
Henricus Mecklenburgicus, qvi ob res for-  
titer gestas Leonis cognomen obtinuit, ar-  
ctissima affinitate fuerunt coniuncti. Hanc  
ergo dum SOPHIA LVDOVICA, REGI  
in matrimonium collocata nobis in memori-  
am revocat, iuxta et felici auspicio instaurat,  
simul utriusqve nationis animos novo vin-  
culo conglutinat, et nexus redintegrato, no-

C

vum

vum utriqve potentiae robur ac firmamen-  
tum pollicetur, ut fines ditionesqve suas pari  
voluntate et consilio, antiquo et patrio more,  
tueantur. Nobis autem tanto maiores lae-  
tandi causas affert, qvod regiam domum na-  
vo qvodam munimento fulciat, omniqve  
orbitatis metu sublato, spem faciat, fore ut  
genere suo et sangvine Prussiam compleat,  
et maiorum virtutes in posteris excitet, ve-  
terumqve Regum Obotritorum pariter ac  
Brennorum fortitudinem propaget felix ma-  
ter, et immortalem conservet. Cum enim  
nec maximi Principes communem naturae  
legem evitare possint, hoc unum eorum mor-  
talitatem consolatur, et aeternitati consultit,  
si, qvae parentes admirabiles fecerunt, in fi-  
liis etiam intueri liceat. Id vero cum tanto  
illustriori gloria nobis a felici ista coniun-  
ctione pollicemur, qvo maius ea decus ac  
ornamentum utriqve parti conciliat: dum  
**S P O N S A S E R E N I S S I M A** non modo gentem  
suam nova Regiae affinitatis laude cohone-  
stavit, sed regium qvoqve sangvinem ab an-  
tiqvissimo maximorum heroum stemmate  
deductum, in domum Prusicam intulit.  
Nam multo ante tempora Carolingica, et  
priusquam Heneti cum Teutonibus legum  
ac in-

ac institutorum similitudine coniuncti, in unam civitatem coalescerent, Ducum Mecklenburgorum maiores, regio splendore conspicui, rerum domi forisqve praecclare gestarum gloria floruerunt. Deinde post varias fortunae vicissitudines titulum quidem, sed non animum Regis deposuerunt, et a Carolo IV. Imperatore tandem ad Dicum dignitatem evecti, novum virtutis praemium obtinuerunt, qui hoc etiam meritis et Regiae illorum stirpi se tribuisse, publicis litteris professus est, qvod ad Bucephali caput in gentiliis illorum armis coronam adiunxit. Tantis maioribus orta SOPHIA LVDOVICA non amandi impetu, qui in excelsas mentes non cadit, sed virtutibus regii et genere suo dignis REGI conciliata, nec forte ducta, sed certo iudicio ex omnibus electa commune illud gaudium festumqve triplum adventu suo in regionibus nostris excitavit. Nam animo iam praecipio exultantem illam et lactitiis omnibus incidentem multitudinem, quae obviam REGINAE effunditur, et, dum singuli illam, a qua felicitatem expectant, videre gestiunt, regiam sedem ingredienti viam propemodum eripit ac intercludit. Nec minus tubarum clangores,

gores, qvam immoderatum gratantis populi  
strepitum, et male digestos turbae clamores,  
qvibus excipitur, mihi exaudire videor. Dum  
enim nimio qvodam ac impotenti gaudio  
cuncti efferuntur, fieri non potest, qvin in-  
conditi aliquid et parum decori admittant,  
officiique sollicitudinem piae affectus ma-  
gnitudine omittant. Omnis aetas et sexus,  
omnisqve status et ordo certatim afflit, nec  
indigenae tantum, sed exteri etiam fama et  
expectatione commoti, veluti signo dato,  
concurrunt, spectatqve dives et pauper, et  
qvos fortuna discriminat, studium et admi-  
ratio regiae felicitatis coniungit. Ceteris um-  
mo loco nati proceres, ut sua cuique pietas  
est, faustis acclamationibus, gestuqve et ha-  
bitu laetitiam produnt, lumina et festos i-  
gnes accendunt, et nihil deniqve, qvod ad  
condecorandum hunc diem, vel consecran-  
dum pertineat, praetermittunt. Musae ve-  
ro, tutelae ac patrocinii Regii alumnae, se  
ipsas ad nuptiale hoc sacrum incitant, et, qva-  
si sedibus suis excitae, omni festinatione Be-  
rolinum properant, ut publicos plausus e-  
dant, et pietatis officium Nutritori suo, de-  
mississimo cultu, testentur. Qvae omnia-  
dum paulo altius mecum perpendo, dum cel-  
fissi-

sissimos coniuges incredibili splendore circumfusos, dum inusitatos apparatus, dum comitatum plus quam Regia magnificentia instructum, dum florentissimae civitatis studia et applausus ad animum revoco, non inanem pompam, non ludicrum aliquod spectaculum, non vanum ludum, aut delectamentum cogito, sed novum pacis triumphum mihi cernere videor, qui olim summi honoris loco, bene de Republica meritis decernebatur, et omnibus belli trophyis merito praeferebatur. Pacis haec ornamenta et communis tranquillitatis signa, et nostra securitatis argumenta sunt, quae ex rebus per FRIDERICUM sapienter constitutis, et ex felicitate publica, auspicio eius ad summum fastigium perducta, redundant. Maecte ergo hac gloriae et prosperitatis principatu, DOMINE, et sine satietate fruere bonis illis, quae Tuis curis et studiis parta communem omnium salutem complectuntur! Serva benignissimum in Tuos animum, et magnas ilias atque regales dotes in liberos seruosque nepotes diffunde! Nos hac ipsa Tua bene de omnibus merendi voluntate officii nostri ac pietatis admoniti, vota precesque conjungemus, Deumque immortalem, Regum

D

stato-

statorem, obtestabimur, ut gaudium, qvod  
ex incolumitate Tua capimus, proprium no-  
bis ac perpetuum esse iubeat, ut longa sit di-  
es illa et aetate nostra posterior, qvae Te so-  
lutum mortali corpore, coelo transcribat.  
Interea ita consilia Tua Numine suo regat, ac  
moderetur, ut qvaecunqve pro salute patri-  
ae, pro libertate communi, pro dignitate imperii,  
cogitabis, ages, suscipies, prospere et  
ex animi sententia eveniant. Regnum ve-  
ro Tuum et domum Serenissimam tot pre-  
cum nostrarum turmis atqve cohortibus se-  
ptam, coelesti praesidio tegat, contra omnes  
hostium insidias tutam, et contra ipsam tem-  
porum iniuriam aeternam praefet, atqve a-  
deo non tantum factorum gloriam, sed san-  
gvinem qvoqve Tuum, ac posteros  
cum omnium seculorum memo-  
ria adaeqvet.



Ung VI 3

10 18  
13 17



# Oratio Panegyricalis

cum

SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS  
PRINCEPS AC DOMINVS,

DOMINV S

# ERICVS,

e, Marggravius Bran-  
omani Imperii Archi-Camera-  
or, Supremus Princeps Arausisionen-  
Magdeburgi, Cliviae, Juliaci, Mon-  
teraniae, Cassubiorum, Vandalorum,  
non in Silesia et Crostnae Dux, Burg-  
ensis, Princeps Halberstadii, Mindae,  
verini, Raceburgi et Mursii, Comes  
pini, Marcae, Ravensbergi, Hohen-  
Lingae, Sverini, Burae et Leerdami,  
Vlinsfingae, Dominus Ravensteinii,  
ardiae, Lauenburgi, Butoviae, Ar-  
et Bredae ac reliqua.

cum...

MA DVCE AC DOMINA,

DOMINA

# LVDOVICA,

E domo Mecklenburgica

paganis Sverinensis,

picatisime celebraret,

VVITTENBERGAE

in Templo arcii coniuncto

Die XXVII. Novembris Anno MDCCVIII.

solenni ritu devotissimeque dicta

Farbkarte #13



M. GVILELMO WILCKIO, Memela-Prusso,

Facultatis Philosophicae in Academia Wittenbergensi Adseffore.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.